

1477

dextra eos in orbem coeuntes, fœdissima strage prosternit: sic momento temporis prima turma hostium multitudine obruta est: & ad unum ferme omnes cæsi, præter paucissimos viros illustres, qui se hosti dediderunt. Ductores autem proximæ turmæ, ubi primam aciem circumventam viderunt, atque undique hostes cum clamore ( ut mos est gentis ) instare, cedere cœperunt, ut in apertam planitiem evaderent. Sed id tanta trepidatione est factum, ut illico fugientium speciem potius quam cedentium iis qui in extrema erant acie, præbuerit. Continuo igitur omnes quasi victi circumspectare fugam cœpere. Adeit interim hostis, turbatosque per se ordines cum stridore invadit, quibus minimo negocio solutis, aperta fit fuga: pro se quisque, sine signis, sine imperio, in devia & occultos saltus evadere conatur. Hos barbarus celeri cursu assecutus, passim sternit; ad Mossam usque & ulterius clades distracta est. Pauci, relictis equis, & armis abjectis, in propinquos montes abierte. Ceciderunt ea pugna, Hieronymus, penes quem totius equitatus imperium fuisse diximus, cum filio, Jacobus Badoarius, Anastasius Flamininus, ac plerique alii viri illustres: reliqui ferme omnes capti. Nec victoria omnino hosti incruenta fuit, Marbego duce graviter vulnerato, multisque ignobilibus cæsis: sed ille, quicunque ea pugna conciderant, in unum coacervatos concremavit: idque ex eo suspicari libet ( nam quid alioquin de eo affirmare possim, non habeo ) quoniam in tanta nostrorum cæde nullus barbarus est repertus.

In hunc maxime modum ad Sontium amnem pugnatum accepimus, cuius cladis fama tantum terroris circumiectæ regioni attulit, ut ne intra mœnia quidem populi sese tutos fore putarent. Frequens fuga nocte illa quæ diem cædis secuta est, ex agris facta est. Postridie autem, quum jam multum diei processisset, repente circa Utinum sumus non uno loco attolli cœpit: ex eo cognitum est, hostem adesse, atque momento temporis ( quasi ita inter barbaros convenisset ) quicquid fere villarum inter Sontium & Tiliaventum amnes fuit, hostili manu conflagravit.

Eram